Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

vel qualibet occasione, quelibet adversa sive exilii sive etiam mortis sustinere pro deo, sed sic eum volebat manere domi. Iste tamen more suo pacem reficere in Ratispona *Quievit.* laborabat, populosissima urbe. Neque enim apud Germanias populosiorem urbem tam et latiorem testantur qui noverunt. Dux autem Bawarie perfecta simplicitate, Ymbripolensis episcopi qui subreptionem tunc presumpsit insatiabili avaricia maximum fiscum episcopii, idem castrum quoddam cum omnibus pertinentiis suis usurpabat. Episcopo primo fuerit obstrepere, cetum turbare nil pensi habere, abutitoque totus pene episcopatus cepit incendiis et rapinis vastari. Urbani vero et altiores divisi abierant. Hec pater patrie anxius cum animo suo tenens, tum pace tum maxime pro urbe ne lederetur satagebat, quamquidem hec mater provincie et aspectu eius universam terram et fructus omnium foret inca. Dux obedientiam promittebat in omnibus. Episcopi stulticiam piget exponere, qui dampnum maximum et confusionem quam utilitatem maluerit. Pater tamen adduce vita captivis remissione urbi memoriam eternam labori suo obtinuit. Postmodum divine revelationis gratia obitum suum longe ante presciuit sicut subiecta declarant.

In Frisigensi civitate mulier degebat inclusa. Que ante annum transitus episcopi orationibus solito cum incumberet, rapta in spiritu ad contemplanda illa eterna et invisibilia viventibus mortalibus est. Vidit itaque supplicia reproborum varia et horrenda que in cor hominis ascendere non possunt. Vidit deinde mansiones beatorum et gaudia que impossibile est homini loqui. Super hec omnia contemplabatur apud superos gloriosam sedem, cuius opus et species omni famine mirabiliora, sedique beatum Petrum et sanctum Rodbertum altrinsecus super stantes custodes. Cum miraretur super magnitudine horum, responsum a sanctis illis audivit: Hec est sedes Eberhardi Salzburgensis archiepiscopi, quam ad eius usque custodimus adventum. Prope est ut veniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur. Hec mulier per familiarem nuntium mandavit, et usque ad mortem pontificis more tamen res latet.

Appropinquante igitur vocationis sue tempore, cum iam pre demum viribus corporis cepisset destitui, de pace inde negotium habuit, bonam hanc virtutum suarum consumationem existimans, si pacem ecclesie redditam reliquisset. Dissidebant more suo diu inter se dux orientalis Bawarie nec non frater suus valde excellentissimus tunc Patavensis presul, mox autem Eberhardi nostri successor, Iuvavum translatus metropolim. Consulto in salutem hanc translationem arbitror ille temporum deus indulsit, ita ut congruum magis et dignum inquo solo tota procella temporis consumeretur finis doceretur. Hunc concordare fratrem invisum beatus presul non levius utpote in mortis vicinia laborabat. Quid fit? Quem in fine, quam procul a constituto colloquio aberat. Sed adhuc longius sequens dominus homini suo deferebat. Unde humiliter submonitus a suis, cum magna dulcedine allegabat dicens: Scio karissimi quod de celo descendit ad terras. Quid nos? Et ad hec quis ydoneus? Adiciensque aiebat suis: Fateor spem in hoc maximam habeo, si mori in negotio pacis vel ante capere tanti boni saltem initium queo. Beati enim pacifici, et quid sequitur? Quoniam filii dei vocabuntur. Desiderium igitur suum iusto dato iuxta Salemonem est, inter pacis actiones ad eternam est pacem translatus. Unum omnium puncto notatum est martirio similis pro eo ut maxime quod castrum episcopii vir clarissimus Otacher marchio eadem tempestate obsedat, munistialem ecclesie profectum oppidi persequens. Aliena res. Quem diutinum ecclesie vel etiam iam perpetuum capto oppido malum veniret, tragedia in ore hominum erat. Vix opus compulit advenire antistitem. Sine opere precio tandem res agitur, dum demum confirmatur pater proloquitur: Iam ecce in castrum meum ascendam, quis obstet videbo. Occupat serenissimus marchio necessarios consultus obsidionem sine ulla pactione solvit, dignum cedit episcopo. Reddidit hoc pater, ut ministerialem conditionibus satisfacere tandem persuadet. Itaque hec opera eius novissima. Cum iam morbo decurrens ingrederetur, vii. equis in trabea. Faciebat autem hec ac si iam moriens palam omnibus dicens: Pacem relinquo vobis. Et ducitur inter hec ad sanctum Rünense monasterium. Ubi sinocho ut ceperat aliquamdiu laborans post creticam diem sudore exundato magis defecit. Hunc paululum sustinens ait: Modo auditum amisi. Quo sensu scilicet auditus, ut ita dicam, super naturam hominis semper viguerat, sic ut procul susurrantes audiret et perciperet. Sequenti die dominica ad vesperam vocante domino x. Kalendas Iulii natale concessit, anno episcopatus sui xviii., mense secundo, anno ab incarnatione domini MCLXIIII, ab ordinatione pape Alexandri vi. et imperii Friderici tredecimo. Mors eius pre tempore lamentabilior fuit. Languebat enim mater ecclesia omnibus membris, et cum hic caput totius existeret imperii(?) securitate et gloria sanum caput interim infirma iuvabat. Que spes temporis? Que spes futuri? Melius est habere quod cupias, quam desiderare quod nescias. Quid plura? Transferebatur defunctus longo et aspero itinere ad matricem ecclesiam, et exequias eius more pauperes celebrabant, genus illud deo propinquus. Quid de ceteris dicam? Istud novum hoc beatum gementes dixerim coisse leprosos et planctu, oblationibus, elemosinis, orationibus suprema ei iusta fecisse. Rarum genus. Inopes in cetu reboant: Patrem amisimus. O providentiam nostram. Ipsi potentes aliorum, pars amicum vel patrem se amisisse dolebant. Exemplo precellentissimi et nostris temporibus eruditissimi Babenbergensis episcopi, cuius de hoc ipso epistolam lugubrem, que illustriora tanti viri attestatione que dicimus fiant, in presenti subnectimus.